



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXXIV. De sacris sanctorum reliquiis ad collum suspensis, idem
adstruitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

*Corporeos nobis morbos casusq; repelli,
 Praesertim horridos mortiferosq; petit.
 Nam licet accidere haec sanctis aliquando sinuntur,
 Tela magis lesi numinis esse solent.
 Talia sunt virus, pestis, morbusq; caducus,
 Impetus hostilis, parturientis onus.
 Nec minus & terra motus, incendia, fluctus,
 Fulmina, tempestas, morsq;e repente vorans.
 Hac procul arceri grauiora pericla precatur,
 Prospera sed vita, letaque fata dari.*

postremò ita concludit & ego cum ipso:
*Ergo Agnus, superi qui templi est unica lampas,
 Sit nostra interea fida lucerna via.*

CAP. LXXIV.

*De sacris Sanctorum reliquiis ad collum suspensis
 idem adstruitur.*

Non solum S. Joannis Euangeliū aut Agnos-Dei
 contra huiusmodi aduersa è collo suspendere cō-
 sueuerunt Christiani, sed & sanctorum reliquias
 pretiosas ex auro, argento vel serico thecis inclusas: ac si
 essent, vt verè sunt lapidibus pretiosissimis pretiosiores,
 & auro probatissimo probatiores. idque magis hoc sæ-
 culo faciendum est quando hæretici nostri sacrarum re-
 liquiarum iurati hostes exemplo impij Vigilantij (de quo
 Hieronymus: Dolet martyrū reliquias pretioso operiri
 velamine, & nō vel pannis vel cilicio colligari, vel projici
 in sterquilinum, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens
 adoretur) altissimè sub terram eas abscondi debere, tam-

Luther.
 Serm de
 Cruce.

Surius in
Chron.
an. 1562.

quam ex tribunali pronuntiant : immò quod maius est, exurunt & in flumen cineres proijciunt, prout an. 1562. in Gallia sacrilegi Calvinistæ fecerunt cum corporibus sanctorum Irenæi, Hilarij, Martini atque aliorum quæ effoderunt, cremarunt, & in profluentem abiecerunt. Non sic primitiui Christiani, non sic fideles, qui omni honore eas semper sunt persecuti. S. Athanasius in vita B. Antonij scribit sibi ab Antonio relictum pallium tritum, & addit de se ipso : Legatarius Antonij benedicti qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tamquam magnâ hæreditate ditatus, lætanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. Refert etiam de eodem Antonio Hieronymus in vita Pauli primi eremitæ, cum Pauli tunicam ex folijs palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reuerentiam, illam induere solitum in diebus tantum solemnibus Paschæ & Pentecostes. Ecce tanti viri tam magni æstimarunt viles & obsoletas demortuorum vestes, quia nempe cum opinione sanctitatis defuncti erant. Quando judaicè quis moriebatur, abominabilia erant morticina, inquit Basil. cum pro Christo mors contigit, pretiosa sunt reliquiæ sanctorum eius. antea dicebatur sacerdotibus & Deo dicatis, Non contaminabitur ex aliquo mortuo : nunc autem qui contingit ossa Martyris (immò vestes, vt vidimus, Confessoris) sanctificationis societatem assumit ex gratia corpori insidente. Accurrebant certatim ad vmbra B. Petri eo modo quo poterant contingendam, & quos transiens obumbrauerat, sanabantur. Pauli sudaria & semicinctia ad ægrotos deferrebantur, & conualescebant. Et quod de suspensione ad collum attinet, constat ex diuersis S. Gregorij epistolis limaturam catenatum B. Petri pro ingenti munere ad

Basil in
Psal. 115.

Actor. 5.

re-

reges & principes aliosque viros primarios de Ecclesia Dei bene meritos, à Romanis Pontificibus solere mitti, quam includebant aurea clavi ab altari B. Petri accepta. Hi verò ad quos transmittebatur, religiosè eam suscipientes, ad collum suspendebant, vt Apostolico muniti præsidio, à malis imminentibus tuti essent. Sic Anastasio Episcopo Antiocheno misit claves S. Petri de sepulchro eiusdem sumptas que (vt ait epist. 25.) super egros posite multis miraculis, solebant coruscare. quibus illud etiam adnumeres quod scribit Constantiæ Imperatrici vxori Mauritiij, promittens eidem se missurum de catenis S. Pauli quas in collo & manibus gestauerat; nempe cum frequenter multi peregrini aliquid ex limatura earumde catenarum collo suspendendū peterent, sacerdos cui ea cura esset commissa, aliquibus petentibus nullā difficultate vel morā de iisdem ramenta limā excuteret, quibusdam verò diu per catenas ductā limā, nihil penitus excutere valeret. De aliis plurimis miraculis per eiusmodi claves patris, vide latius apud vtrumque Gregorium, Romanum & Turonensem.

Cur verò huiusmodi limaturam tantum etiam ad reges & Imperatores, non autem partem aliquam corporis transmittere solerent Pontifices, rationem reddit S. Gregorius iam dictæ Constantiæ Augustæ petenti sibi Constantinopolim ad Ecclesiam S. Pauli à se ædificatam exornandam, transmitti caput eiusdem Apostoli aut partem aliquam corporis eius, cum responderet sibi id minime licere multipliciter sese excusando, additis plurimis miraculorum exemplis quæ edi consueuissent, cum quid ex sacris reliquiis Romæ transmutare quis auderet. Sed earum loco mitti solere ait, Brandea (erant ea vela contactu sacrarum reliquiarum sanctificata) per quæ tantæ

Vide ep.
Greg. ad
Child.
reg. lib. 5.
epist. 6. &
epist. 23.
lib. 6. &
alibi.

Lib. 3. e-
pist. 30.

virtutes fierent quantæ per ipsa sanctorum corpora. Romanis namque (verba Gregorij sunt) vel totius occidentis partibus omninò intolerabile est & sacrilegium, si sanctorum corpora tangere quis fortasse voluerit; quod si præsumpserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. pro qua re de Græcorū consuetudine, qui ossa leuare sanctorum se afferunt, vehemēter miramur & vix credimus. ita Gregor. ex quo discimus quantum Pontifices Rom. contrariati fuerint vagæ & promiscuæ huius sæculi reliquiarum distractioni, è qua graua sæpè incommoda oriri solent. Transferre verò corpora Sanctorum Româ in Gallias aut alias transalpinas prouincias, primò coeptum fuit eo tempore quo Franci Romanam Ecclesiam à Longobardis aliisque tyrannis vindicantes, multis officijs de eadem sunt optimè meriti: quod enim olim aliàs fuerat intentatum, tunc à Romanis Pontificibus consequi coeperunt. Erant namque antiqui Franci seu Galli mirè sacrarum reliquiarū cupidi præ alijs nationibus: quas postquam paulatim deinceps è regno suo transferri permiserunt, simul regni maiestatem & reliqua bona omnia (vt ipse Carolus Rex, Henrico Germaniæ regi professus est) amiserunt idque non vanè iactari, sed experimento iam perspicuè esse demonstratum, inquit Witichindus Saxo Historicus, quando vnà cum corpore S. Viti martyris, quod ex Gallia in Saxoniam sub Ludouico Pio Imp. translatum est, simul etiam ad Saxones veluti fato quodam (si ita dicere Christiano liceret) Francorum gloria commigrasse videtur. Tanti interest sanctorum corporum præsentia. Sed nūc ad sacra hæc amuleta reuertamur & ad eorum virtutem.

Baron. in
martyr.
Rom.
19. Iunij.

Apud Ba-
ron. an.
920.

Cùm defuncti S. Ignatij Loiolæ corpus exequiarum
causa

causa jaceret in feretro, Bernardina quædam Romana filiam strumis jam diu laborantem, quam arte nulla medici sanare valuerant, ad osculandas mortui manus ad-mouere vehementer optabat, certam ex eo contactu fi-liæ valetudinem sibi pollicita. Sed cum præ turba impe-tu sæpè facto puella numquam ad feretrum accedere potuisset, mater quam filia charitas audaciorem & va-lentiolem fecerat, non ante destitit quàm ex vestimen-tis Ignatii partem adeptæ esset. Id frustulum virginis collo simul atque alligatum fuit, veluti præsentis numi-nis ope morbus evanuit. Sed non tantùm morbum fuga-runt, verùm & vitam restituerunt.

Maffei
in vita
Ignatii
l. 3. ca. 14.

In Cusu, inquit Bozius, anno 1583. quidam puer anno-rum circiter duodecim è templi culmine ab alio deie-ctus, sex dies absque vlllo sensu permanferat, Sacerdos eò concedens ex Societate J E S U, reliquias quasdam san-ctorum ad collum pueri appendit, & continuò reuixit. Præclarè certè Nicæna Synodus 2. Act. 1. Seruator no-ster CHRISTUS fontes salutares sanctorum reli-quias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, vnguentum redolentis suauitatis scaturien-tes, & vt inquit magnus Doctor cui ab immortalitate nomen est (intelligit Athanasium, *ἰάνατ* & mors, *αἰἰάνατ* & immortalis) martyrum ossa morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis visum impartiunt, lepras mundat, ten-tationes & mœrores soluant, idque per Christum qui in illis habitat.

Bozius
de sig.
Ecclef.
tom. 1.
l. 5. ca. 2.

Anno 560. Justinianus Imperator Constantinopoli valdè ægrotans, vulgò mortuus jactabatur: verùm ope Sanctorum Quatuor martyrum militum, statim vbi eo-rum sacra reliquæ nuper inuentæ eius corpori impositæ fuere, è faucibus mortis erutus conualuit, vt refert isto-

rum.

Procop.
de ædif.
Iustin. l. 1.

rum inspector Procopius, quo etiam auctore constat non semel tantum, sed sæpius eiusmodi curationes Iustiniano accidisse, quippe quem ait SS. pariter martyrum Cosmę & Damiani beneficio ab alia desperata ægritudine curatum esse.

Anton. 3.
part. tit.
12. cap. 8.

Angelus quidem, verbo, Reliquię, num. 4. innuit fas non esse sanctorum reliquias collo dependētes deferre, ad quod persuadendum citat quædam capitula & leges, verum quę nihil persuadeant. vnde melius D. Tho. 2. 2. q. 96. ar. 4. ad 3. pij & religiosi hominis officium esse dicit eas penes se gestare, dummodò tamen honorificè & piè ac religiosè deferantur. Estque hic communis sensus omnium, penè Doctorum, cui subscribens S. Antonius Florentinus Episcopus, ita ait: Portare reliquias sanctorum ad collum, si hoc fiat ex deuotione & fiducia ad Deum & sanctos quorum sunt, licitum est secundum D. Thom. 2. 2. q. 96. ar. 4. ad 3. Secus si fieret cum aliqua superstitione, puta quia vas earum esset quadrangulum, & huiusmodi, quia tunc licitum non est. ita ille.

Quid sit
Era Hi-
spanica
vide
apud Ba-
ron. in
Mar.

Possent hęc obijci, cuius supra mentionem feci, Concil. Braccarense III. celebratum Era 713. hoc est, an. Christi 675. quod sic cap. 6. Agnouimus quosdam de Episcopis, quoddam in solemnitatibus Martyrum ad Ecclesiã progressuri, reliquias collo suo imponant & maioris fastus gloriã apud homines intumescant, quasi ipsi sint reliquiarũ arca. Leuitæ albis induti in sellulis eos deportant. quæ detestanda præsumptio per omnia abrogari debet ne sub sanctitatis specie simulata vanitas sola præualeat, si modum suum vniuscuiusq; ordinis reuerentia non agnoscat. Et ideò antiqua in hac parte & solemnis cõsuetudo seruabitur, vt in festis quibusque arcam Dei cum reliquiis nõ Episcopi, sed Leuitę gestent in humeris, quibus & in.

& in veteri lege onus id impositum nouimus & præceptum. Quod si etiam Episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse à diaconibus in sellulis vectabitur, sed potius pedissequa eo vnà cum populis progressionem procedente ad cōuenticula sanctarum Ecclesiarum, sanctæ Dei reliquiæ per eundem Episcopum deportabuntur. Iam verò qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quamdiu in hoc vitio fuerit, à sacrificando cessabit. Hactenus Concilium. Cui obiectioni respondere nullatenus necesse est, ipsum enim se satis explicat, neque nostro instituto quidquam contrariatur: solum enim reprehenduntur Episcopi, qui in solemnitatibus martyrum reliquias ad collum ligabant, & tamquam fercula maioris pompæ & ostentationis gratiâ sinebant se in sellulis à Diaconis portari. Illud autem occasione portandarum reliquiarum pro hodierni sæculi Cappellanis hic adiungendum puto, Reges Franciæ consueuisse in expeditione secum ferre sanctorum reliquias, sacerdotesq; eidem muneri mancipatos, dictos esse Cappellanos (à Cappa S. Martini, quam religionis ergò Francorum reges ad prælia procedentes secum ferre solebant, ac seruabatur sub quodam tentorio quod ab ipsa Cappa, Cappella dicebatur, & presbyteri eius custodiæ deputati Cappellani, quod nomen ab illis ad minoris curæ seu subsidiarios sacerdotes deriuatum est) testatur epistola Carlomagni Ducis Francorum data anno 742. in qua hæc leguntur: Seruis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare aut in exercitum, & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illis tantummodo qui propter diuinum ministerium, Missarum solemnia adimplenda & sanctorum patrocinia portanda ad hoc sunt electi, id est, vnum vel duos presbyteros cum Cappellanis presbyteris,

Guil.
Dur. l. 2.
ration.
ca. 10.
nu. 8.

ris, princeps secum habeat. Hæc ibi. Equitare consueuisse Francorum reges sacris reliquijs præcedentibus demonstrat Greg. Turonens. Histor. Francorum l. 6. cap. 27. ubi ait de Chilperico rege: Reliquijs multorum sanctorum præcedentibus urbem ingressus est. Et cur non Capam tanti Pontificis jam cum Deo regnantis, & suo populo deprecantis secum in subsidium adferrent, cum de Theodosio Magno legamus eum aduersus Maximum tyrannum pugnaturum, superhumerali (cucullam hodie vocamus) Senuphij anachoretæ capiti suo imposuisse eiusque baculum manu gestasse, atque ita in aciem contra hostes suos processisse; quos & hisce spiritualibus armis deuicit? Pulcrum sanè spectaculū, videre regem in equo monachali cuculla loco galeæ & militaris loricæ indutū. quod imitatus Abbas quidā in finibus Galliæ, vt scribit Petrus Damiani Firmino Episcopo, quæ cum quidā è sæculo potens ob contentionem de possessione armis esset adortus, solos Monachos equis imposuit, capita cucullis cooperire præcepit, sicque cum illis velut galeatis & loricatis, fidei munimento Crucisque vexillo ad locum certaminis venit: ille diuino percussus horrore cū suis desiliit ex equis, omnesque protinus armis abiectis, terræ se humiliter strauerunt, atque indulgentiam ab Abbate eiusque Monachis flagitarunt. Vidimus hisce similia anno nuper elapso 1622. cum Louaniensis ciuitas de inuasionem Hollandorum periclitaretur. Noua bella & bellantium noua arma. Non enim in arcu meo speraui, nec gladius meus saluauit me, inquit regius Propheta. quia non in fortitudine equi nec in tibijs viri beneplacitum est Domino. Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine DEI nostri, & in sanctis eius.

Meta-
phoras.
31. Jan.

Porro sicuti has thecas sanctorum reliquijs refertas è
col.

collo gestare consueuerunt, fideles ita etiam & maiori ratione, signum Crucis seu Crucem aliquam effigiatam, de quo ita Chrysostr. in demonstratione aduersus gentiles, quod Christus sit Deus: Ipsum ergo hoc lignum in quo positum sanctū corpus Domini & crucifixum, quatenam habere totus orbis ita contendit, ut qui paruum quiddā ex illo habent, hoc auro includant tam viri quā mulieres, & ceruicibus suis aptent; hinc valdē honestati & magnifici & muniti & protecti: licet condemnationis fuerit lignum? Sed iam de hisce amuletis & periammatis abundē.

CAP. LXXV.

*Vsus palmarum benedictarum non inutile
contra pestem remedium
est.*

Solemne in Ecclesia est annuatim Dominica die proximē ante Pascha, quæ & idcirco Dominica Palmarum dicitur, palmarum, oliuarum, similiumque arborum ramos, solemnibus precibus benedicere, populoque Christiano gestādos, & domi ad salutare effectus seruandos, tradere. qua cærimonia duo quæ circa Christi Domini personam gesta sunt, significantur: alterum insignis ille ingressus in ciuitatem Ierusalem ipso hoc festo palmarum: alterum triumphus ille gloriosus, quem per passionem & mortem suam deuictis hostibus, de principe huius mundi, vniuersoq; inferno reportauit, idq; in gratiā nostri, quos nō nostris meritis, sed benigna sua miseri-